

Ad Philippum Regem.

Philippo Hispaniarum Regi catholico, maximo
& pientissimo. L. Ioannes Trullus, Prior sancte Christinae, salutem
& contra hostes ecclesiae victoriam. D.



V M primū tua Regia munificentia, Philippe, Rex potētissime, Priorē sancte Christinē me designauit, atque delegit, diligentī studio ex multiūga pōtificiarum sanctiōnum, sacrorum conciliorum; & prāstatiū Theologorum lectione, ea exquirere cōipi, quę ad munus mihi iniūctum rite riteq; obeundum, & vtilitatem p̄fstarēt, & viam sternerent. Nam qui ratione & methodo Canonicorum Regularium illustrem ordinem elucidauerit, inueni neminem. Cuius rei peruestigationi, correctioni, editioniq; dum totus incumbo, en iam plus quam quadrienniū insumo. Dum vero opus nec expolitū, nec eruditione sātis ornatum, meo tamen iudicio frugiferum euulgare cogito, ea me formido rapiebat, quod imperfectissimus homo, præclaræ perfectionis opus alijs edere contenderem. Vehemens tamen quidam zeli ardor in hunc sacrum ordinem, me vrit, & pellit, vt has meas qualeſcumque lucubratiunculas, & mihi & alijs religionis cultioris candidatis in vulgus emittam. Tametsi enim magnum diuinarum messium pondus in aream domini asportare non possum, cur vel certe manipulos paucos, dum nimis trepido, inferre sum recusatus? Præsertim vero hisce turbulentis, exulceratissq; temporibus, quādo tam aperto marte impij hæretici aduersus sacras religiones non absque catholiconum incōmodo dimicant. Quid faciam? Ruth Moabitidem generose imitabor, quæ metentium in agro gressus insequēs, spicas, quę forte metentium subterfugissent manus, aut etiam de industria ex partis familias voluntate fuissent relicta, ipsa colligebat. Sic ego post sacros veteresq; patres, nulla vīquām veneratione satis honorandos, quæ mihi clementis Dei in suo fœcundissimo agro elaborāti donauit benignitas, in manipulos collegi, singula coaptans; non tam curam habens adferendi plurima, quam pauca clare lucideq; sic explanandi, vt nemo non vel tenuis ingenij, facile omnium intelligētiam comprehendenderet. Tandem vero huius laboris finē Dei ope assequutus, dum ipse mecum reputo, huius operis nuncupatio post immortalem Deum, inter mortales cui potissimum debeatur, tuæ maiestatis celsitudo dignissima mihi visa est, caius patrocinio hoc Canonicum opus committatur, cuiusque augu

T s stissimo